

in Bruto multum potuisse non eloquentia, sed dicendo tamen, hominemque fuisse eum non liberalitate ut alij, sed ipsa tristitia & seueritate popularem. an autem hic M. Cassius Cacurius, & M. Cassius Brocchus, & L. Cassius Donatus ex veteri Romana familia profluxerint, originemque suam traxerint: certe crediderim traxisse. Nam hoc Cacurij Manduillæque coniugum monumentum vetus est, quorum nomina adhuc in vrbe Mediolanensi non extincta eleganti in tumulto leguntur, qui in diui Maurij templo, quod vulgò Monasterium maius appellatur, à nobis descriptus fuit. eoque libentius, quod horum coniugum fidei atque amoris *ιερογλυφικῶς* perpetuum adsit testimonium (ut etiam vir in explicandis veterum monumentis doctissimus ac diligentissimus Andreas Alciatus in suis elogijs facundè interpretatus est) Nam, ut ait ille, quòd iunxere dextras fidei argumentum est: quòd in manu pomum adsit, Amorem significat, ut Aristophanis interpres *ἐν νεαφέλαις* scribit. suspenduntur enim Veneri huiusmodi mala, ut Artemidorus Daldianus in libro Onirocriticon author est. Nam & munere pomorum alluci puellas Theocritus, Virgiliusque testatum reliquerunt. qua ratione & charites ita depinguntur, ut mala teneant, eaque inuicem, donent. hinc & prouerbium *μύλοις βάρμη*. chil. ij. centuria iiij. prouerb. lxx. j. pomis ferire. hæc tenus Alciatus. Sed iam explicemus notas, in apice V. F. indicant quòd Cacurius viuens fecit, sibi que construxit hanc memoriam, solebant enim veteres Romani aliquam sibi, priusquam diem obirent suum, memoriam viuentes construere. aut hieroglyphicò perpetuum, ut, aut fidem vxoriam, aut Amorem in liberos, aut charitatem in patriam, & similia in exemplum posteris relinquerent. Sic hic Placentiæ in æde diui Paulli est elegantissima columella per antiqua Leonibus geminis, duobusque Satyris hinc inde expressis in pellibus, ut puto, hircinis inuolutis, baculisque vitigineis præ manibus tenentibus. inscriptio hæc ibi legitur.

V.

F.

L. BETVTIVS L. F. VOT. TENAX. L. BETVTILO L. F. RVFO PATRI CINTVLLIAE L. F. MAXIMAE MATRI C. BETVTIO L. F. SALVIO PATRVO L. BETVTIO L. F. AVO.

Sic Saluiæ & L. Iconij mensa. Sic A. Socconij Atticæ coniugium manus iungentium hieroglyphicon hic Placentiæ in porticu ante ædem diui Sabini fidem faciunt. in quibus omnibus illæ notæ leguntur. V. F. Sic & L. Furij optatij Erarij memoria vetus indicat hic Placentiæ, quæ prope diui Hilarij templum in angulo cuiusdam domus est inclusa, quæ vel viatoribus pertransuentibus conspicua apparet. quæ elogia superiore anno describi curavi, me pleraque alia excerpta veterum monumenta, Comi, & Romæ, necnon Mediolani, & alijs quam plurimis in locis eadem ipse notæ in spectationibus antiquis leguntur.